


DOMINI AVRELII AV  
GVSTINI COMMENTARIO,  
rum, ex omnibus eiusdem Lucubra-  
tionibus collectorum tomus  
secundus, in nouum  
Testamentum.



V E N E T I I S

Ex officina Erasmiana apud Vincentium Vaugris.

M D X L I I I.



z

**▲ COMMENTARIA EX OMNIBVS**  
**D. AVRELII AVGUSTINI HIPPONENSIS**  
**EPISCOPI OPERIBVS, IN EVANGE-**  
**lium secundum Matthæum, decerpta.**

**CAPVT PRIMVM.**

**De consensu Euangeliſt.lib.2.Cap.1. Tomo IIII.**

**L**iber generationis Iesu Christi.) Quo exordio suo satis ostendit generationem Christi secundum carnem se fuscæ pisse narrandam: secundum hanc enim Christus filius hominis est, quod etiam se ipse saepissimè appellat commendans nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Nam illa superna & aeterna generatio, secundum quam filius Dei unigenitus est ante omnem creaturam: quia omnia per ipsum facta sunt, ita ineffabilis est, ut de illa dictum à propheta intelligatur: Generationem eius quis enarrabit? Exequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Ioseph virum Mariæ de qua natus est Iesus. Neque enim fas erat ut ob hoc eum à coniugio Mariæ separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere uocariq; coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu: præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnaли, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Iosephi pater Christi, quia non eum concubendo genuerat, quandoquidem recte pater esset, etiam eius quem non ex sua coniuge procreatum, aliunde adoptasset. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Ioseph, tāquam ex eius omnino carne progenitus, sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait: Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph. Qui tamen Lucas non eius parentem solam Mariam, sed ambos parentes eius appellare minimè dubitauit, ubi ait: Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solenni paschæ. Sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Mariæ cum ipsa matre eius intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse item Lucas superius dixit: Et erat pater eius & mater mirantes super his que dicebantur de illo? Cūm igitur ipse narret, non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria virgine natum Christum, unde eum patrem eius appellat: nisi quia & virum Mariæ recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugij: & ob hoc etiam Christi patrem multò conjunctius qui ex eius coniuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus? Vnde manifestum est illud quod ait: Ut putabatur filius Ioseph, propter illos dixisse,

A ij qui